

Num. 1.] in fundo multis foraminulis instar cribri pertusum, supernè autem os ejus angustum angustiore adhuc canaliculo CD ita munitum, ut aëri nec introitus pateat nec exitus, nisi per ejus aperturam C: Pro rariore verò instrumenti usu, cavitatem ejus septo transverso CD in duo hemisphæria dividit, & utrumque peculiari canaliculo KC & HF modo antè dicto instruit. Ipsum verò usum simplicioris fabricæ in eo ponit, quòd immersus aquæ aliive liquori globus hunc per inferiora foramina facile admittat, admoto pollice ad orificium C, quoquo versum translatus detineat, tandemque, ubi opus fuerit, remoto saltem pollice largiter iterum per eadem fundi foraminula emittat: Alteram autem & rariorem structuram eo consilio exhibet, ut calidam aut frigidam, vinum aut aquam, imò plura liquorum genera, pro utentis arbitrio, inde fundere successivè liceat. Etenim, si clauso v. g. orificio H globus totus immersus vino fuerit, solâ sui medietate ACD illud admittet, obturatoque orificio K, admissum servabit, simul in aquam demergendus pro implendâ alterâ medietate FBD, eaque, obturato nunc utroque canaliculo, in usum futurum pariter asservandâ; ut sc. deinceps, ad nutum spectatoris, nunc vinum reddere, nunc aquam, in proclivi sit, reclusis alternatim aperturis K & H.

V. Neque verò necessum est ut sphærica præcisè sit hujus vasculi figura; quin aliam quamcunque etiam admittit, modò fundi infernè dictâ ratione perforati & oris angusti supernè fuerit, ut hinc facile claudi, isthinc haustum priùs liquoris promptè spargere possit, prout in eadem Fig. 22 num. 2. ac 3. videre est. Quo pacto verò posterior *Heronis* fabrica gemino additamento, (quod nunc commodùm in mentem venit) altero supernè altero infernè, perfici amplius posset, ut commodiùs multò ac promptiùs diversi liquores, non ex eodem vase solùm, sed ex iisdem etiam fundi foraminulis, & singuli quidem successivè ex omnibus, effunderentur; id quidem postea declarabimus. Hîc facili ratione nunc ab unoquoque intelligetur descriptio clepsydre, quam legere est